



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Modvs Et Ratio Beneficia diuina meditandi affectibus gratitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MODVS ET RATIO BENEFICIA diuina meditando affectibus gratitudinis.



VPEREST nunc declarare, qua ratione diuina beneficia sint meditando: circa quæ quinque præcipuè sunt consideranda, vt infinitatem eorum cognoscentes, gratos nos exhibeamus, vt par est.

- I. PRIMVM est, infinita benefactoris, Dei videlicet, magnitudo: ad quam cognoscendam, discurrendum est per ipsius Dei excellentias & perfectiones, sicut in subiectis Meditationibus proponuntur. Ex quo efficitur, vt quodcunque donum, quantumuis paruum esse videatur, magni tamen sit faciendum, eò quod qui largitur, sit infinitè magnus: & ita dicebat David, *a Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi: per singulas dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum: quia, magnus est Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

a Psal. 144. 2

a Ecc. 43. 32

- II. SECYNDVM est infinitas, amoris, quo beneficium confert, infinita magnitudo, cuius causa ipsum beneficium est magnificiendū: nam cum ex amore dat donum, seipsum quoque

simul

DE GRATITVD. AFFECTIB. II

simul cum dono dat, & ingreditur rem ipsam
 amatam; & quidquid det, etiã si re ipsa sit par-
 uum, ita dat tamen, vt sit cupidus alia multò
 maiora dandi; sicut per os Nathàn Prophetæ,
 Dauidi significauit: *b si parua sunt ista benefi-*
cia, quæ in te contuli, adijciam tibi multò ma-
iora: quia nec potentia illi deest, nec voluntas,
vt apparebit inferiùs. b 2. Reg. 12.
8.

TERTIVM est, ipsius beneficij magnitu-
 do, quæ modo quodam est etiam infinita, aut
 in numero, aut in excellentia. Nam quæ-
 dam sunt beneficia, quæ complectuntur in-
 numerata bona, quale est beneficium creatio-
 nis & conseruationis mundi, eiusque pro-
 uidentia: alia continent in se infinitam
 excellentiam; qualia sunt beneficium In-
 carnationis, Redemptionis, Sanctissimæ
 Eucharistia, & glorificationis: & pro om-
 nibus sunt Deo agenda gratia, sicut Isaias di-
 cebat, *c laudem dicam Domina, super omni-*
bus, quæ reddidit nobis Dominus, & super
multitudinem bonorum Domui Israel, quæ
largitus est eis secundum indulgentiam suam.
 Et Sanctus Bernardus dicebat, nulla Dei do-
 na præteriri à nobis debere absque gratitu-
 dine & laude, non grandia, non mediocria,
 non pusilla: Quia pusilla, sunt infinita nume-
 ro; & quamuis aliquorum comparatione sint
 parua; alijs tamen nominibus eadem sunt ma-
 xima. c Isaias 63.
Serm. 51. in
Cant.

III.

QVARTVM est, infinita utilitas eius, cui
 hæc beneficia conferuntur: homo videlicet,
 miser

IV.

d Psal. 2. 5.
d Psal.
143. 3.

In Soliloq.
c. 10.

miser & ingratus; & verè indignus, cuius Deus aut memor esset, aut cui aliquod conferret beneficium. Vnde dicit Dauid, *d quid est homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quia reputas eum? homo vanitati similis factus est: dies eius sicut umbra praterunt.* Ex quo etià deducam, quòd si meam vilitatem, cum Dei magnitudine conferam; indignus sim, qui eius laudes in vilissimo ore meo accipiam; dicens cum S. Augustino, quis ego sum, Deus meus, vt laudem te? sum puluis & cinis, canis mortuus & foetidus, vermis & putredo; quomodo ergo tenebrę laudabunt lucem, mors vitam, vermis infinitum suum creatorem!

V.

QVINTVM est, infinita Dei liberalitas in beneficio conferendo, quod ex gratia sua & gratis donat, nullo commodo expectato ab homine, cui illud confert; & ipso non solum non promerente, sed etià immerito. idque infinitè, ob innumerabilia eius peccata & ingrati tudines. Aded, vt cum tantus sit Dei inimicus, non tamen defatigetur Deus, noua quotidie illi beneficia conferre. Hęc quinque docuit nos Christus Dominus ponderare, reuocās nobis in memoriam beneficium Incarnationis suę, cum dixit: *e Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* quę sententia, (vt alibi dictum est) quinque verba continet; & in singulis perpendendum est aliquid ex his, quę hic diximus. Nam, qui beneficium contulit, est Deus infinitus; modus fuit, diligendo; qui accepit, est mundus, & quidem ab

c Ioan. 3. 16
2. Part.
Med. 2.

omi.

ominationibus plenus; beneficium fuit ipfius filius vnigenitus, æquè infinitus, ac ipse quem gratis & nullis nostris meritis dedit: nam ideo dicit, vt filium suum vnigenitum daret.

PERPENDENTES itaque quinque hæc puncta in singulis beneficijs diuinis, debem⁹ merito debitâ gratitudine Deo respondere; ad quam (teste S. Thoma) inclinatur primùm ipsa virtus gratitudinis, eò quòd Deus sit primus ac supremus benefactor: erga quem præcipuè exercendi actus proprij gratitudinis: qui sunt, agnoscere & magnificere beneficium ipsum, propter allatas rationes; propterea illum laudare, promulgando eius liberalitatem, vt omnes eum laudent ac glorificent; ac demum obsequia aliqua illi offerre, non intuitu alicuius alterius commodi, sed omninò gratis, quamuis nulla noua ab eo beneficia expectaremus: quia, quæ prius accepimus, sufficiunt. Quòd autem nostra gratitudo sit plena, debet esse iuxta consilium Apostoli vniuersalis; vt *in omnibus gratia agantur*, nullo prætermissio beneficio; nec solùm pro iis, quæ ego accipio, sed etiam *pro omnibus hominibus*.

ADVERTENDVM est autem, tria esse in mûdo creaturarum genera: quædam enim, & possunt & volunt gratias Deo agere pro acceptis ab eo beneficijs, reddentes pro hoc suo debito quidquid reddere possunt; huiusmodi sunt Angeli & beati, qui in cælo iam sunt,

imò

2.2. q. 106. a

6. q. 107.

4. 2.

1. Tim. 2. 1

mō & animæ, quæ in purgatorio detinentur; & iusti, qui adhuc versantur in terris: aliæ sunt creaturæ, quæ possent, sed nolunt gratias agere, siue id fiat ex ignorantia, vt faciunt Idololatræ, qui DEVM non agnoscunt, & cæteri infideles; aut ex malitia, vt improbi Christiani, in quorum numero venire etiam possunt tum Dæmones, tum iam damnati homines, quibus Deus contulit aliquando magna beneficia: aliæ sunt creaturæ, quæ nec velle, nec reddere possunt: quia non sunt præditæ intellectu, ad cognoscenda beneficia, aut gratias pro ijs agendas: huiusmodi sunt cœli, elementa, plantæ & animantes. Pro omnibus itaque beneficijs, quæ in omnes has creaturas, conferuntur, gratias Deo reddere debemus, coniungentes nos ijs, qui sunt in primo genere; vt cum eis gratias agamus, suppletentes ignorantiam & malitiam secundi generis; & impotentiam tertij: inuitantes tamen illas ad laudes Dei: quia hac ratione me ipsum magis excito, ad ipsum benedicendum, & glorificandum; & exacuo meum desiderium, vt omnes qui possunt ac debent, ipsum laudent. Quare in omni loco & tempore (vt ait Apostolus) Deum laudabo illo verbo, quo ipse frequenter vtitur, præcipuè ad Corinthios, *g gratias Deo super inenarrabili dono eius.* Eodem verbo frequenter vtitur Ecclesia in fine Sacri Missæ, & Horarum Canonicarum, vt nos ad eius vsum magis afficiat. Nam, vt S. Augustinus ait:

g 2. Cor. 9.

15.

g Eph. 5. 4.

20.

g 2. Thef. 1. 3

quia

quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo scribamus, quam Deo gratias? hoc nec dici breuius, nec audiri latius: nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.

Epist. 77. ad mediu.

Hic manet explicata illa diligentia, quam ex parte nostra, in his meditationibus adhibere possumus, ad earum finem assequendum; ita cooperantes diuinæ gratiæ, cui potissimum tota spes nostra innititur; & diffidentes nostris diligentibus, quin potius cum omnes adhibuerimus, dicamus, quod Christus iussit: *serui in-*

h Luc. 17. 10

utiles sumus, quod debebamus facere fecimus; nec digni sumus tam dulci & excelso premio, atque est donum contemplationis; satisque nobis est, quod ad gloriam Dei illud obtinere cupiuerimus, qui etiam desiderat, illud concedere; & concedet vel in hac vita, si ita nobis expediet; aut certe in futura, ubi clare Deum ipsum contemplantur, ac omnibus charitatis viribus in æternum diligemus. Amen.

MEDITATIO I.

DE ESSE DEI.



VNDAMENTVM omnium veritatum Catholica nostra fidei, vt ait Apostolus, est: a credere, quia Deus est; credere inquam, magnaque firmitate intel-

a Heb. 11. 6. S. Thom. 1. p. 2. a. 3.